







*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*







1774.

1. Hoepfer, Ludw. Juliano Fredericus: Joannis Isaaci Hafnensis et Philippi Caroli Diehlii ... solemnium inauguralium in Nest. ac praetermissae quaedam: De  $\beta\alpha\sigma\iota\lambda\kappa\omega$  v. libris proponit.
2. Koch, Dr. Christoph: De citatione edictalis cautionis ab hereditibus peregrinis praestandae sinuata occasione reformat. Francofurt. part. XI tit. 2. § 3, 5 et 6. octa.
3. Koch, Dr. Christoph: De credito hypothecario civitatorum in substatione hypothecae non excludenda occasione reformat. Francofurt. part. I. tit. XLVII § 4 et 8.

1775

1. Bolten, Joannes Frachner: Portiones juris selectae

1775

2. Groening, Caspar Gabriel: Flores sparsi ad praesens  
h'orem contra civitates.
3. Koch, Dr. Christoph: Programm de conspectu
4. Richertzy, Georg David: Variæ quaestiones circa  
testamentum avi materni nepotes ex defuncti filia  
reposita ex antea patre instituentis.

1776.

1. Dr. Koch, Dr. Christoph: De cas positionum ea  
jure civiti.
- 2<sup>a</sup> Koch, Dr. Christoph: De votis duplo majoribus.
- 3 Miller, Gottlob Theodoricus: De eo, quod justum  
est circa vias publicas et militares in imperio  
Romano-Germanico speciatim in Saccia extitentes.

1777.

1. Brant, Francus Adelphus Georgius: Utroque decretis et  
insinuata citatione ex l. diffamari eique juncta



remissionem reliquorum peccatorum ad jeßebau simul  
res hacta locus [m!] [detur!] ext. presentium ?

29<sup>o</sup> Leip, Helvius Benktardus: De privilegiorum  
de non appellando S. R. I. statibus concessorum  
effectu quoad querelas nobilitatis querelas Penegatae  
vel protractae justitiae, munitate de administranda  
justitia, et aliis remediis 2 Sept 1777 & 1792.

3. Koch, Fr. Christoph: De Foro competente provi-  
cationis ex lege diffamari tum secundum jus com-  
mune, tum ordinationem cameralem ..

*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

7  
L  
1  
B  
✠





*Vol. Nr. 11.13.*

*1774, 1*

D. LVDOV. IVLIVS FRIDERICVS  
HOEPFNER

ICTVS ET ANTECESSOR, H. A. ORDINIS IVRIDICI  
DECANVS

DIGNISSIMORVM CANDIDATORVM

IOANNIS ISAACI HOFMANNI

ET

PHILIPPI CAROLI DIEHLII

MOENO - FRANCOVRTENSIVM

SOLEMNIA INAVGVRALIA INDICIT

AC

PRAETERMISSA QVAEDAM

DE

BASILICON LIBRIS

PROPONIT



GISSAE

EX OFFICINA BRAVNIANA

MDCCLXXIV.





fol. Nr. 112

D. LABOV IVIVS FRIDERICVS  
HOPFFER

LEVIS ET ABSTINENS M. A. ORD. S. IERONIMI

DIUINISSIMORVM CALICIMTORVM

IOANNIS ISAACI HOFMANNI

ET

PHILIPPI CAROLI BIRCHLI

ORD. S. IERONIMI

SCOLARIVM INVOVENS INDICT

AC

FRATERNITATEM QUAE DAM

DE

BRASSILLIENW LIBRIS

PROFONIT



BRASSILLIENW LIBRIS

ET QUAE DAM

PROFONIT







§. I.

THEMA PROGRAMMATICIS.

**P**romisi nuper de libris Basilicis, eximio illo in iuris scientia critica subsidio, in publicum exponere, & non nihil recens, indictumque aliis adferre. Libero fidem duas de hoc opere nec ignobiles nec otiosas quaestiones tractando; primam: *an omnis & integer Ἐξηκοντάβιβλος aetatem nostram viderit?* alteram: *quot eius libri in lucem editi sint, quot-ue adhuc in tenebris deliteant?* Circa utramque enim video Viros doctos multum a vero deflectere, & non qua eundem est, sed qua itur, coeco obsequio ire.

§. II.

AN CVIACIVS HABVERIT INTEGRA BASILICA?

Vulgo ferunt, penes IACOBVM CVIACIVM fuisse integrum *κειμήλιον*, sexaginta Basilicorum libros; eo defuncto heredem operis extituisse PETRVM FABRVM, Praesidem Tholosanum; quae vero post huius obitum libri fuerint fata, nesciri.





Sic GIPHANIVS in *commentario de Imperatore Iustiniano p. m.* 19. \* BROOEVS in *chronologia iuris, eiusdem commentario ad Instit. adiecta* \*\*. Hi auctores sunt & fontes velut opinionis. Ex BROOEEO eam hausit & quibusdam additis propagavit SVARESIVS in *notit. Basilicor.* \*\*\* & ex hoc porro depromsit HOFFMANN in *hist. iur. rom. Vol. 1. Lib. 3. C. 3. §. 10. not. e.* BRVNQVELL *hist. iur. Part. 3. Membr. 1. Cap. 4. §. 14. not. a.* HELLEFELD *V. C. hist. iur. rom. Lib. 2. §. 17.* ac denique BACH *hist. iurispr. rom. p. 661. not. p.* Obserues velim GIPHANIVM accepisse, BROOEVM ad *famam* prouocare; neutrius ergo testimonio multum ponderis tribuendum est. Vt fama semper fere

--- --- pariter facta atque infecta canebat,

fic & in hac causa. Verum est CVIACIVM habuisse plures Basilicorum libros, & tales quidem, qui nec apud FABROTTVM nec alibi editi exstant. Verum etiam, hos libros ab ipso transiisse ad P. FABRVM. Sed dubium, quam quod maxime, est, CVIACIO fuisse omnes sexaginta libros. Probabo singulas theses argumentis ad fidem faciendam idoneis.

\* Verba sunt: „Ipsos autem Basilicōn libros primus ni fallor VIGILIVS ZVICHEMVS potentissimi Regis Philippi in Belgica ali-  
 „quando Quaestor integerrimus (vulgo Secreti consilii Praesidem  
 „vocat) idemque olim huius Academiae Antecessor clarissimus,  
 „a Venetis in Germaniam attulit; sed quinque duntaxat libros,  
 „quos meo nuper rogari IOACHIM. HOPPERVS eximius ICTus  
 „a VIGILIO sibi donatos IAC. CVIACIO ICTo doctissimo uten-  
 „dos misit. Quem ipsum accepi totum iam corpus Basilicōn na-  
 „ctum esse cum scholiis Graecorum interpretum.

\*\* Et huius verba, cum liber rarus sit, adponam: „Quidam tantum  
 „editi





„editi sunt opera GENTIANI HERVETI, qui ad eum perue-  
 „nerunt beneficio ANTONII AVGVSTINI, de iurisprudentia  
 „bene meriti; quos quidem latinos HERVETVS fecit; reliquos  
 „omnes penes IACOBVM CVIACIVM fuisse fama est; quorum  
 „ipse sexagesimum latine vertit, eoque mortuo ad P. FABRVM  
 „Praefidem Tholosanum peruenisse creditur.

\*\*\* Dicit: GIPHANIYS addit, se accepisse CVIACIVM totum cor-  
 pus βασιλικῶν nactum esse cum scholiis graecorum interpretum,  
 BROOEVS in chronologia iuris famam esse scribit, libros Basili-  
 „ci reliquos penes CVIACIVM fuisse, illoque demortuo perue-  
 „nisse ad P. FABRVM Saniorianum, Praef. Tholos. cuius heredes  
 „thesaurum illum custodiunt, vt didici ex literis Illustrissimi Ar-  
 „chiepiscopi Tholosani, nec ipse CVIACIVS disfitetur in supra  
 „dicta praefatione ad tit. πτ. de excusat. tutor. In praefatione  
 „autem lib. 6o. ait, se Leonis ἑξακοσιτάβιβλον omnem pene euol-  
 „uisse cuius postremum librum emitteret.

## §. III.

## QVOD NEGATVR.

Non omnes Basilicos libros apud CVIACIVM exstitisse,  
 pluribus rationibus nixus defendo. Prima est: in praefatione  
 ad librum sexagesimum ab ipso editum ita scribit: „E quibus  
 „(scil. libris Basilicōn) mihi nunc sunt in manibus XXXVIII.  
 „XXXIX. XL. XLI. XLII. commendati beneficio clarissimi &  
 „prudentissimi viri VIGLII ZVICHEMI. Euolueram & alios ple-  
 „tosque iam ante, ac paene totum ἑξακοσιτάβιβλον, non illum quon-  
 „dam Hippocratis, sed Leonis philosophi imperatoris, non mi-  
 „nus quam Hippocratis medendi rationibus locupletem, cuius  
 „postremus liber ὑστερον πρότερον emititur primus, caet. Altera:  
 in eadem praefatione exeunte dicit: „Hae causae & utilitates  
 „omnes





„omnes, quae his libris insunt, vix tandem peruicerunt & per-  
 „pulerunt cunctantem me, vt ab hoc libro, de quo tibi pri-  
 „mum fidem dederam, inciperem, & ad caeteros me alacrius  
 „compararem; nec quiescam ante, quam omnes, *quotquot habeo*,  
 „in commune contulero. Illo ergo anno MDLXV. quo haec  
 scribebat, CVIACIVM nondum possedisse vniuersum opus, li-  
 quido adparet. *Tertia* denique ratio erit: Is ipse CVIACIVS,  
 qui saepissime Basilicorum auctoritate assurgit, cum aut prohi-  
 bet, ne vis fiat scripturae priscae, aut adipisci possessionem suae  
 emendationi, aut denique interpretationibus suis adsensum conci-  
 liare laborat, Basilicos interpretes autem reprehendit, vbi ipsius  
 sententiis aduersantur; ex libris quibusdam nullam omnino, fe-  
 rente quamuis crebra occasione, legem laudauit, nisi vnam &  
 alteram talem, quae & in synopsi Basilicorum exstat. Per par-  
 tes hoc ostendam.

\* Vides ex ipso illo loco, praefatione libri sexagesimi, vnde  
 SVARESIVS deducit, CVIACIO Basilica integra fuisse contra-  
 rium potius colligendum esse. Quod autem ad praefationem, si-  
 ue potius dedicationem, (in praefatione enim nihil est,) titulo  
 D. de excusationibus iur. praemissam attinet, agit ibi gratias CV-  
 IACIVS IACOBO CAMBRAYO pro libro sexagesimo & synopsi  
 Basilicorum, quos libros CAMBRAYVS ex oriente redux CVIACIO  
 dono dederat. Nihil autem opinioni SVARESII fauens hic  
 locus habet.

#### §. IV.

##### CARVIT ENIM LIBRO XIX.

Ne syllaba quidem laudat librum XIX. in emendatione le-  
 gis 3. pr. & l. 47. D. de act. emti *Obs. XIII. 35.* legis  
 21. §. 2. eod. *Observ. II. 5.*, legis 34. eod. *Obs. I. 10.* legis 4.  
 §. 1. D. de peric. & comm. rei vend. *Obs. XXIII. 34.* legis





12. §. ult. D. de aedilit. edict. *Obs. XI. 10.* legis 15. D. de enict. *Obs. II. 20.* legis 56. eod. *Obs. XI. 4.* nec magis in explicatione legis 36. de act. emti *Obs. XXVII. 35.* legis 64. de enict. *Obs. XXVI. 37.* nec denique in tuenda scriptura legis 57. D. de act. emti *Obs. XIV. 11.* Inprimis inspicatur velim *Observationum caput XL. libro V.* Ibi plura iuris loca emendat ope Basilicorum, laudato vbique libro, nimirum XLVIII. LI. LVIII. LIX. & LX. Ad solam autem legem 13. §. 6. de act. emti scribit: *hoc graeca metaphrasis docet,* & locum adfert, qui etiam in synopsi libri XIX. est. In rem praesentem veniat lector, & vim argumenti certissime sentiet. Pariter *Obs. VI. 7. & XVI. 24.* loca e libro IX. quidem aduocat, sed ambo quoque in synopsi exstant.

Probationes potissimum e libris *Observationum* petiit. Recte enim sentiunt, quibus teste FABROTTO in praef. ad Basil. CVIACIVS omnia fere observatu digna e Basilicis selegisse, & in *Observationum* libros transtulisse videtur. Deinde liber earum XXI. XXII. XXIII. & XXIV. non diu ante Auctoris mortem, sequentes demum post eius obitum publici iuris facti sunt, & in posterioribus saepe retractat aut confirmat sententias in antecedentibus prolatas. Parum ergo metuo argumentum: esse posse, ut CVIACIVS post editas *observationes* libros Basilicam integros nactus sit. Non possum non id adhuc monere, me, vbi argumentum capio ex non vsu Basilicorum in legis *explicatione* non alias quam eiusmodi *explicationes* adduxisse, vbi veri simile est, potuisse Basilicorum aliquem usum esse.

## §. V.

NEC NON LIBRIS XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV.  
XXXVI. ET XXXVII.

hisdem rationibus suadentibus dubito, an ICTo nostro fuerit

rit





rit liber XXXI. Non vitur hoc libro in explicanda L. vlt. D. de his qui sui vel alien. iur. *Obs. X. 23.* nec in defendenda vulgari lectione legis 2. D. si ventr. nomine *Obs. XXXIII. 39.* Ne credam eum manibus tractauisse librum XXXII. hoc me mouet, quod eum nusquam laudatum inuenerim. Sed fragile esse hoc argumentum, si solum est, libens fateor. Liber enim iste nil continuisse videtur praeter excerpta e Nou. 18. & 89. Nescio ergo an occasio fuerit CUIACIO cum laudandi. Verisimiliora adferre possum de libris XXXIII. XXXIV. XXXV. & XXXVI. Librum XXXIII. non laudat Noster in defendenda lectione Florentina L. 23. de adopt. in Paul L. 35. ad edict. Opp. T. I. col. 1318. edit. Lugd. de ao. 1614. Librum autem XXXIV. non adducit in tuenda scriptura Norica legis 7. D. de captiu. & postlimin. *Obs. XXVII. 33.* nec librum XXXV. in vindicanda lectione legis 22. §. 5. D. qui testam. fac. poss. *Obs. XIV. 11.* & legis 45. D. de vulg. & pupill. substit. *Obs. XVII. 26.*, aut in emendanda lege C. 3. de postum. hered. instit. *Obs. XVIII. 9.* lege 17. §. 4. ad SC. Trebell. *Obs. III. 10.* lege 27. §. 6. eod. *Obs. III. 6.* lege 43. eod. *Obs. XII. 10.* lege 25. D. de condit. instit. *Obs. II. 16.* lege 83. D. de acquir. vel omitt. hered. *Obs. II. 7.* lege 3. Cod. de edict. D. Hadr. toll. *Obs. XVIII. 9.* In explicanda lege 8. C. de testam. *Obs. XXVI. 10.* allegat quidem Basilica, sed locus etiam in synopsi est. Librum denique XXXVI. & XXXVII. habuisse non videtur, cum prioris non meminerit in emendanda lege 7. Cod. de codicill. *Obs. XVIII. 9.* & legis 4. D. de SC. Silanian. *Obs. IV. 13.* posteriorem autem non aduocauerit in explicanda L. 12. §. 1. de administr. tut. *Commentar. ad Paul. edict. Opp. T. I. col. 1254.* & L. 46. eod. *Opp. T. I. col. 1638.* sqq.





## §. VI.

## ET LIBRO XLIII. AC XLIV.

Nec denique liber XLIII. & XLIV. ad summum Ictum peruenisse existimandus est. Cur enim, si secus foret, librum XLIII. plane illaudatum fuisset in emendanda l. 8. de verb. oblig. *Obs. I. 22.* & l. 12. Cod. de contrah. stipulat. *Obs. XIX. 37.* aut explicanda l. 122. §. 1. de verb. oblig. *Obs. II. 11.* lege 1. §. penult. de stipulat. seruor. *Obs. XXI. 14.* & l. 25. cod. *Obs. XVI. 38.* Perlegi quoque commentarium amplissimum ad titulum Digestorum de verborum obligationibus, sed nullum locum Basilicorum ibi adfert praeter L. 99. d. tit. quae & in synopsis libri XLIII. est. Ex libro XLIV. nihil adducit cum emendat legem 50. de legat. I. *Obs. II. 7. l. 91.* §. penult. cod. *Obs. XXV. 40. l. 11. §. 20.* de legat. II. *Obs. XIV. 26. l. vlt.* de legat. III. *Obs. II. 32. §. vlt. h. leg. Obs. III. 9. l. 23. D. de vsu & vsufr. legat. Obs. XIV. 17. l. 3. D. seruitute legat. Obs. I. 23. & XXIII. 11. l. 8. D. de trit. vin. ol. legat. Obs. XI. 30. l. 12. §. 38. & l. 20. D. de instruct. vel instrum. leg. Obs. I. 27. & 28. Quod autem habet in illo libro extans, *Obs. XI. 25. X. 13. XI. 16.* id etiam in synopsis est. Et quid multa? Caput 17. & 18. Obseru libr. X. rem conficere videntur. Ibi aut explicat aut corrigit tituli de aur. & arg. leg. legem 4. 8. 10. 15. 18. 19. §. 12. l. 21. 23. 25. 30. 32. §. 7. l. 34. & 36. Nusquam ad Basilica prouocat, nisi ad solam l. 32. §. 7. At & haec sola ex praedictis omnibus in synopsis inuenitur.*

\* Obmoueri potest, CUIACIVM laudare L. 24. D. de cond. & dem. graecam, e libro 44. Basilicor. & quidem, vt ipse ait, ex *integriss*  
Basilic





*Basilicis in comm. ad digest. Iulian. Opp. T. I. col. 1245. Et sane conturbabar initio, hunc locum legens. At facilis est responso. L. 24. cit. repetita est in tit. de diu. reg. iur. ibique est centes. sexages. prima. Hic autem titulus in libro Basil. secundo est, quem fuisse CVIACIO non nego.*

## §. VII.

CVIACIVS HABVIT LIBRVM II. XII. XXVIII. XXIX. XL.  
ET SEQVENTES AD FINEM.

Vidimus CVIACIO non licuisse tam beatum esse, vt integro Basilico codice vti potuerit. *Quot autem & quos eius libros versauerit, nunc dispiciamus. Certissimum est, fuisse ipsi librum XXXVIII. & XXXIX. Hos enim ex eius autographo edidit LABBAEVVS. Habere se libros XXVIII. XXIX. XL. XLI. XLII. XLV. XLVI. XLVII. & XLVIII. ipse in praefatione ad librum LX. proficitur. Librum LX. edidit. Sed an reliquos habuit? De II. XII. XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII. & LIX., qui omnes praeter II. & XII. desunt in editione Fabrottina, quin habuerit, non est dubium. An autem possederit libros, quos & FABROTTVS exhibet I. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXX. in suspensio relinquo.*

## §. VIII.

CONTINVATIO.

Librum II. fuisse CVIACIO docet locus ex opp. T. I. §. antec. indicatus. Xlimum apud eum existisse perspexi ex IANI a COSTA commentario ad decretales, quem librum, indicato mihi





mihī quoque loco, e penu sua libraria instructissima mecum communicavit Magnif. Academiae nostrae Procancellarius. Scribit autem COSTA in *recitat. ad l. 69. D. pro soc.* commentario ad decretal. adiecta, p. 607. „sic enim habent Basilica, „quibus olim mihi uti habere permissum fuit in bibliotheca Vi- „ri eruditissimi & nobilissimi P. FABRI, Principis Senatus To- „losani caet. Sermo autem est de versione graeca d. legis 69. quae in Libro XII. est, & Basilica CVIACII peruenisse ad FABRUM mox ostendam. E libro XLIX. & sequentibus ad finem vsque loca excerptit, quae tamen neque in synopsi Basilicorum, neque apud Harmenopolum, neque denique in Atalatae synopsi synopsios leguntur. Exempla dabo. Librum XLIX. expresse laudat *Obs. XVII. 13.* & ex eo adfert legem 4. D. de honor. poss. Librum L. iudem discrete nominat *Obs. XI. 12.* adductis inde l. 19. l. 21. §. 1. & l. 48. pr. D. de acquir. rer. domin. *Obs. XVI. 29.* iterum laudat hunc Basilicorum librum, ibique legem 2. §. 16. D. pro emptore ex eo describit. Denique *Obs. IX. 33.* graeca verba legis 10. C. de acquir. possess. habet. Librum LI. laudatum inuenio *Obs. V. 37. & 40.* Graecaeque leges duae ex eo excerptae sunt, l. 6. D. de diuers. temp. praescript. & l. 12. D. except. E libro LII. l. 1. l. 15. l. 52. §. 5. D. de obl. & act. & l. 6. Cod. eod. adducuntur in commentariis ad hos tit. & *Obs. XVII. 18.* quae in synopsi aut plane desunt, aut non nisi ita epitomata exstant, ut verba a CVIACIO excerpta deficiant. De libro LIII. vid. *Obs. VIII. 15. XI. 11. XXVII. 31.* ubi l. 1. §. 15. D. de exercit. act. l. 2. pr. D. de L. Rhod. & l. 1. §. 5. Naut. caup. Libro LIV. usus est circa l. 5. D. extraord. cognit. *Obs. III. 10.* & l. ult. de muner. & honor. *Obs. IX. 9.* LVmum ei fuisse constat e commentar. ad leg. 1. Cod. de agricol. censit. & colon. Opp. T. 3. col. 1507. Librum LVI. ad-





uocat ad legem 45. D. de iure filci, *Obs. VIII. 9. l. 8. §. 1. D.*  
 de publican. *Obs. IX. 24. l. 19.* de seruit. praedior. vrb. *Obs.*  
*IX. 26. librum XVII. ad legem 5. §. 5. de re militar. Obs.*  
*VI. 26. ad l. 13. §. 4. eod. Obs. IX. 16. l. 19. §. 4. D. de*  
*castrenf. pecul. Obs. X. 16. librum LVIII. ad l. 13. D. de hou.*  
*op. nunc. Obs. V. 40. & l. 10. D. de seruit. praedior. vrb.*  
*Obs. XI. 11. librum denique LIX. ad l. 15. D. de religiof.*  
*Obs. V. 40. l. 9. eod. Obs. VIII. 12. l. 37. eod. Obs. XI. 21.*

## § IX.

## VLTERIOR CONTINVATIO.

Dixi me in suspensio relinquere, an CVIACIO fuerint omnes libri, quos FABROTIVS edidit. Adducit quidem loca ex illis, vide v. c. de libro I. *Obs. XII. 26. & 30.* de libro II. *Obs. XII. 31. & IX. 26.* de quinto *Obs. XII. 28.* de sexto *Obs. XVIII. 33. & comment. ad l. 2. eod. de dignit. de septimo Obs. XXVII. 21. IX. 20. XII. 21. & 22.* de octavo *Obs. XXVII. 32. XIII. 5.* de nono *Obs. XII. 2. & IV. 6.* de decimo *Obs. XI. 11. XII. 33.* de undecimo *Obs. VI. 12. & XII. 35.* At inquirere operae pretium non duxi, an illa loca in minoribus collectionibus iuris graeci nusquam essent. Vero tamen propius mihi videtur, praedictos libros, certe plerosque, apud CVIACIVM fuisse, cum in praefatione supra laudata se *integrum* pacne *ἐγκοντάβιβλον* euoluisse profiteatur.

## §. X.

CVIACIANA BASILICA EO MORTVO POSSEDIT  
 P. FABER.

Quod *κειμήλιον* CVIACII ad eius amicum P. FABRVM peruenit.





uenerit, didici ex loco IANI a COSTA, cuius quoque notitiam debeo Magnif. KOCHIO. Scribit nimirum COSTA *ad tit. 33. libri I. Decretal. p. 215.* „In veteribus MSS. valde similes sunt literae „*β.* & *μ.* Hoc perpetuum est in Basilicis Cuiacianis, quae hodie Tolosa possidet beneficio P. FABRI praefidis numquam factis laudati.” Certe FABRUM habuisse libros XLIX. L. LI. & LII. & quidem illum ipsum codicem, ex quo editi sunt hi libri in thesauro MEERMANNIANO, inde constat, quod FABER notulas exemplari illi passim adiecerit. Vid. REITZII *praefat. ad d. libros.* Fuisse etiam FABRO librum LX. graece, qui tamen ipso viuento non nisi latine editus erat, adparet ex eius notis ad PAVLLI sententias thes. MEERMANN Tom. VII. p. 723. Quod autem omnes habuerit sexaginta libros, id sine vlllo pignore dicitur, & secundum ea, quae de Basilicis CUIACIANIS deduxi, falsum videtur. Desinant igitur Viri eruditi in posterum tam confidenter adfirmare, Basilicum monumentum ita fuisse perenne, vt

--- innumerabilis

Annorum series & fuga temporum

ex illo nihil consumserit, aut meliora argumenta, quam adhuc attulerunt, conquirant.

§. XI.

QVO BASILICA CUIACIANA POST MORTEM FABRI PERVERNERINT?

Quidam ex istis libris Basilicis, quos possederat Praefes Tholosanus, nimirum XLIX, L. LI. LII. bibliothecae Colbertinae illa-

B 3





illatae, tum autem anno 1732. in Regiam Parisinam transferunt. Vide CAPPERONNERII epist. ad MEERMANNVM *Tom. V. thesaur. MEERMANN. pag. 1. & biblioth. histor. literar. STRUVIO - IVGLERIAN. T. I. C. 3. p. 217.* Quae reliquorum fuerit fortuna nescimus. Ut tamen credam illos inter reliquos bibliothecae Parisinae regiae abditos thesauros latere, hoc mouet, quod veri non sit simile, heredes FABRI opus diuuisse, & quatuor libros a reliquis separatim alienasse.

## §. XII.

## QVOT LIBRI BASILICI EDITI SINT?

Propero ad alteram quaestionem: quot libros Basilicōn hodie typorum beneficio vulgatos habeamus? In thesauro MEERMANNI *Tom. V.* extare quatuor XLIX. L. LI. & LII. inter omnes constat. Quot autem FABROTTI cura lucem viderint, id aeque superi scriptores ignorant, ac prauum & debile vulgus. Consule enim qui de Fabrottina editione verba faciunt: IAC. GOTHOFRED. in *manual. iur. pag. 81.* HOFFMANN. *hist. iur. l. c.* BEYER *notit. libror. iuridicor. spec. 3. p. 73.* BRUNQVELL. *hist. iur. l. c.* STRVV. *histor. iur. cap. 4. §. 2. & in biblioth. iur. c. 4. §. 2.* BACH. *hist. iurisprud. l. c.* HELFELD. *V. C. histor. iur. rom. l. c.* CAR. ANT. de MARTINI *V. C. in ord. hist. iur. cap. 8. §. 20.* IENSIUM in *notit. Basilicor. praemissa stricturis iur. rom. §. 2.* NETTELBLATT *V. C. in hist. literar. P. 2. Membr. 1. Tit. 3. §. 386.* V. C. von Selchow *Geschichte der in Deutschl. geltenden Rechte §. 94.* V. C. Schott *Jurist. Encyclopedie §. 104.* Cuncti narrant FABROTTVM XLI. libros integros edidisse. Et cur riuulos sector? adaeamus fontem, Ipse FABROTTVS in praefatione editionis suae: „acquires autem

„ait,





ait, rerum indices heic monendi sunt, libros Basilicōn in libros sexaginta a Leone Imperatore (quo auctore censerentur Basilica, ante non conueniebat,) diuifos integros ad nos non peruenisse, sed libros tantum XLI. Perierunt autem libri XIX. & XXXI. vsque ad XXXVIII. & XLIII. XLIV. & a XLIX. vsque ad LX. nisi forte in forulis bibliothecae alicuius premantur. Primo omnium numeret velim lector libros, quos integros se non edere FABROTTVS fatetur. Ascendit numerus ad XXI. Qui si deducatur a numero omnium, sexagesimo, non nisi XXXIX. restant. *Arizara* ergo narrat FABROTTVS, aut non edidit libros XLI. integros aut XXI. ex editis non sunt mutuli. Nihilō fecius cateruatim verba FABROTTI excrisperunt auctores historiae iuris, nec vilis praeter *MARTINI κατὰ τὴν ἀρχαίαν* animaduertit.

## §. XIII.

## CONTINVATIO.

Propius ad verum venerunt MEERMANNVS & REIZIVS. Ille in praef. ad *T. II. thes.* & in addend. ad hanc praefationem *Tomo VII. thesauri*; hic in epistola ad MEERMANNVM, in addendis citatis ad praefat. *T. 2.* Rem tamen neuter acutetigit. Ille enim scribit FABROTTVM edidisse integros libros XXXIX. Sic autem nec satis accurate loquitur, nec rem exhaurit. Hic eadem narrat & peius errat. Existimat enim librum XIX. apud FABROTTVM esse integrum, & inter XXI. illos, qui confistente FABROTTO plane deficiunt, numerat XXXnum. Ego, qui data opera perscrutatus sum editionem FABROTTINAM, reperi: non nisi triginta quatuor libros in illa exflare, qui integri videntur; scilicet librum I. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXVIII.





XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. & LX. Libri II. XVI. XVII. XVIII. & XXX. genuini quidem sunt, sed tamen mutili; XXI. denique libri, nimirum XIX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XLIII. XLIV. XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII. & LIX. omnino spurii sunt; hoc est, non ipsos libros Basilicōn dedit FABROTTVS, sed loco eorum rhapsodiam, & quidem, vt ipse profitetur, ex synopsis Basilicorum, THEODORO HERMOPOLITA, CONSTANTINO HARMENOPVLO, ex glossis Basilicorum & commentariis CUIACII in codicis libros tres posteriores. Dixi libros II. XVI. XVII. XVIII. & XXX. mutilos esse. In secundo enim lacuna est post L. 56. de verb. signif. ita vt desint leges a l. 57. d. tit. de verb. signif. vsque ad l. 145. de reg. iur. Vid. FABROTTI *Tom. I. pag. 48.* In libro XVI. deerat folium codicis regii leges XXVI. tituli D. de usufructu continens. Vid. *Tom. II. p. 260.* Initio libri XVII. pariter folium regii exemplaris aberat; hinc caret editio FABROTTI *Tom. II. p. 300.* sex prioribus legibus tituli D. de negot. gest. Porro deficit apud FABROTTVM *Tom II. p. 358.* finis libri XVIII. nimirum leges quaedam cod. tituli: quod cum eo qui in alien. desunt integri tituli D. quod cum eo qui in alien. potest. de Scto Macedoniano, de peculio, quando de peculio actio annalis est, de in rem verso, & quod iussu. Denique ex libro trigesimo Tomo IV. p. 739. nil praeter leges priores septem tit. D. de donat. inter vir. & vxorem exstant; reliquae cum titulo codicis eiusdem argumenti desunt. Dixi porro XXXIV. libros integros *videri.* Vt indubitatum hoc venditare nolo, Passim enim & in his XXXIV. libris desunt leges singulares, quas nescio vtrum interpretes Basilici praetermiserint, an ex codicibus, quibus FABROTTVS vsus est, exciderint.

Sed





Sed satis praefationis est; propius ad metam accedo. Sollenia inauguralia duorum Candidatorum dignissimorum indicanda sunt, qui vitae ad hunc diem actae rationes his verbis exposuerunt:

Ego *Ioannes Isaacus Hofmann* natales habui *Frankfurti ad Moenum* d. 22. mensis *Decembris* anni *MDCCLI*. genitore *Friderico Reinhardo Hofmann*, in patria *Syndico*, & matre *Susanna Magdalena Goering*, eiusdem nominis mercatoris quondam *florentissimi*, filia. *Voluptati*, quam nihil superat, mihi duco, quod hos optimos parentes adhuc utrosque *saluos & incolumes* pie venerari, a diuina *prouidentia* mihi benigne largitum sit, quemadmodum, ut eisdem ad *feros vsque annos* conseruet, ardentissimis votis precor. *Prouidae & indefessae eorum curae*, mihi aeterna *gratitudinis* memoria *prosequendae*, debeo, quod a *tenerrima* inde aetate nihil ab *iisdem* praetermissum fuerit, quodcumque ad *iuuenis animum*, tam in *religionis* *Euangelicae* *fundamentis*, quam *uarii generis scientiarum*, *linguarum*, atque *artium cognitionibus* *erudiendum*, atque *exornandum*, aliquid adferre

C

pote-





poterat, eamque ob causam domesticorum praeceptorum disciplinae me primum tradiderunt. Postea Gymnasium, quod in patria floret, ingressus, illud per plures annos frequentavi, circa quod tempus simul priuatis informationibus Virorum doctissimorum, *Albrechti*, Gymnasii Rectoris iam ante aliquot annos pie defuncti & *Purmanni*, illius in officio successoris meritissimi, etiam adhuc vigentis, haud mediocri cum fructu vacavi. Hisce ad altiora praeeparatus atque instructus, anno MDCCLXXI., vere, patriis laribus valedicens *Goettingam* petii, vbi Viro experientissimo *Rud. Aug. Vogel*, haud ita pridem e viuis erepto, tunc temporis Academiae fasces moderante, in album civium Academicorum receptus sum. In hac Alma Georgia Augusta per triennium commoratus, auscultavi Viros doctrina famaue longe conspicuos, perill. *Ge. Ludou. Boehmerum* in Institutionibus, Digestis, Iure Canonico, & Iure Feudali; perill. *Io. Steph. Pütterum* in Iuris Publici, & historiae Imperii praelectionibus. Apud ill. *Frid. Ge. Meisterum* accepi Digesta cum Iure Criminali. Porro audiui generos. ac ill. *Io. Henr. Christ. de Sel.*





*Selchov* Historiam Iuris, Ius Publicum, & Ius priuatum Principum; ill. *Iust. Claprothium*, cuius singularis fauoris de me merita nunquam non grata mente recordabor, doctrinam de Actionibus, & Praxin Iuridicam tradentes. Tandem ill. *Gust. Bernh. Becmannum* in Iure naturae, ac theoria processus ciuilib; excellentiss. *Sam. Christ. Hollmannum* in rebus Physicis; celeberr. *Io. Ge. Henr. Federum* in Philosophicis, tam theoreticis quam practicis, vna cum exercitationibus disputatoriis; Clariss. *Io. Andr. Dieze* in literis elegantioribus, celeberr. *Io. Phil. Murray* in Historia gentium Europaearum; denique excellentiss. *August. Ludou. Schloexerum* in Historia, quam vocant, vniuersali, habui praeceptores. Curriculo hoc Academico per triennium emenso, in patriam redux semestre aestiuum imprimis in elaboranda Dissertatione inaugurali consumsi, quo finito nunc hanc Almam Ludouicianam salutavi, summos in vtroque iure honores rite legitimeque consequendi animo. Ea propter inclytum Ictorum ordinem omni debita verecundia adeo, & vt petitis beneuolas aures praebeat, obseruantissime rogo.

C 2

Ego





Ego Philippus Carolus Diehl natus sum Francofurti ad Moenum die octauo mensis Septembr. anni 1751. Patre Seruasio Diehl, mercatore florentissimo & matre Margaretha Dorothea Bischof, mercatoris quondam filia. Patrem autem optimum iam ante viginti quatuor annos mihi tunc adhuc paruulo mors eripuit. Annis vero decem praeterlapsis prouidentia diuinae non vitricum, sed alterum patrem, Iohannem Ludouicum Difenbach, mercatorem itidem florentissimum fausto mihi dedit fidere. Hos carissimos Parentes, hodierno adhuc die saluos & incolumes, maxima colo reuerentia. Semper mihi recordatio illa erit iucundissima, quod ab hisce parentibus nihil praetermissum fuerit, quod ad animum iuuenilem colendum requiritur. Praecipue enim maxima eorum in hoc consistebat cura, vt Euangelicae religionis principia fideliter inculcarent. Fundamenta itaque illius religionis & illarum Scientiarum domesticorum Praeceptorum disciplina me doceri curauerunt. Postea vero eorum iussu Gymnasium, quod in Patria floret, ingressus sum,





sum, idque per plures frequentavi annos. Doctissimorum illo tempore Gymnasia Praeceptorum doctrina fideli usus sum, & imprimis magnam in me erudiendo Rectoris Purmanni, adhuc viventis, curam satis depraedicare nequeo. Ad altiora itaque hoc modo praeparatus atque excultus, anno 1770. patriam relinquens domum, Erfordiam petii, ibique per tria semestria commoratus, celeberrimos auscultavi Professores Wielandium & Riedelium in Collegiis philosophicis, Logicam, Metaphysicam, historiam aliasque scientias docentes. Cursu philosophico ita absoluto, Erlangam profectus sum, iuris prudentiae discendae gratia. Ibi me Prorector Magnificus Dn. Ioannes Rudolphus Kiesling in numerum recepit civium academicorum. Institutiones & Pandectas percepi ex ore illustris Rudolphi, Historiam iuris, ius publicum & Germanicum me docuit Consultissimus Dn. Geislerus. Postquam vero in hac Academia itidem per tria semestria literis dedi operam, Goettingam quoque visere placuit. Per illustris Pütter me iurium Civium academicorum reddidit participem. Eundem in iure publico, Per illustris Georgium Ludou, Boehmerum





rum in Digestis & in iure Canonico, & illustrem  
 Meisterum in iure criminali habui Doctores. Porro  
 collegium historiae Imperii frequentavi apud  
 Illustrem Selchouium, & Collegium theoriae pro-  
 cessus & Digestorum apud illustrem Becmannum.  
 Interfui denique Collegio de Actionibus & Colle-  
 gio practico, quod aperuit Celeberrimus Claproth.  
 Curriculo hoc academico quadriennali exacto in pa-  
 triam reuersus, per semestre aestiuum conficiendae  
 Dissertationi meae inaugurali inprimis vacavi &  
 nunc Almam Ludouicianam saluto, summos in  
 utroque iure honores rite & legitime capeffendi  
 proposito. Illustrem itaque Iureconsultorum ordi-  
 nem imploro, & omni debita obseruantia, vt voti  
 mei compotem me reddere velit, rogo.

Annuit ordo noster honestissimis precibus, & ad consuetum  
 tentamen, quod vocant, vtrumque admisit. Rarum in ipsis &  
 singularem doctrinam non sine laetitia deprehendimus. Nec  
 Themidem solam coluerunt, Socraticas quoque chartas amant &  
 Musas dulce loquentes. Superest, vt experimento publico eruditio  
 eorum probetur. Conscendent igitur cathedram auditorii solennis  
 alter die XXVI. alter die XXVII. huius mensis, dissertationes suas  
 mode-





moderante Magnifico Academiae nostrae Procancellario ab ob-  
iectionibus defensuri, quem actum solemnem ut praesentia sua  
illustriorem reddere velint Magnificus huius Ludouicianae Rector,  
illustrissimus Comes, diuinae & humanae sapientiae Professores,  
omnesque Musarum cultores enixe rogo. Dabam Giff.  
die XX. Septembr. ann. MDCCLXXIV.









ULB Halle

3

005 120 055



SS.

TA-306









Vol. Nr. 1.13.

1774, 1

D. LVDOV. IVLIVS FRIDERICVS  
HOEPFNER

ICTVS ET ANTECESSOR, H. A. ORDINIS IVRIDICI  
DECANVS

DIGNISSIMORVM CANDIDATORVM  
IOANNIS ISAACI HOFMANNI

ET

PHILIPPI CAROLI DIEHLII

MOENO - FRANCOVRTENSIVM

SOLEMNIA INAVGVRALIA INDICIT

AC

PRAETERMISSA QVAEDAM

DE

BASILICŌN LIBRIS

PROPONIT



GISSAE  
EX OFFICINA BRAVNIANA  
MDCCLXXIV.

